PROPERTY OF THE
PUBLIC LIBRARY OF THE
CITY OF BOSTON,
DEPOSITED IN THE
BOSTON MEDICAL LIBRARY.

No. 5 M M 8. M M



GIVEN BY

Walter Channing. M. D.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/dissertatioinaug00toel

5778.77

1 L. Toel.
Dissertatio Inauguralis Medica sistens Emmenologiam practicam — 1777.

2 J. Becker.
Dissertatio inaug. Med. de secto atque tuto mercurii sublimati corrosivi in variis morbis usu. — 1777.

3 J. Pundt
De Asa foetida.

4 H. W. M. Olbers.
De oculi mutationibus internis.

5 J. Bontin:
De acidorum usu.

6. J. F. Hoefer:
De morbo ex navigatione oriundo.

7 Academiae Georgiae Augustae prorector cum Senatu Sacra paschalia,

8 J. Chr. Becker:
" Discrimen inter arthritidem et rheumatismum.

9 C. E. C. Hammer:
Dissertatio sistens tumorum morbosorum in cerebro

10 G. von den Busch:
De intestino coeco ejusque processu vermiformi.

11 J. G. Janssen:
Animadversiones super morbis incurabilibus.

12 C. A. Stappen:
De cholera humida.

13 J. G. Runge:
De voce ejusque organis.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

EMMENOLOGIAM PRACTICAM.

QVAM

CONSENTIENTE ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS LEGITIME CONSEQVENDIS

D. III. MENSIS APRILIS. MDCCLXXVII.

PVBLICE DEFENDET

LVDERVS IOEL

IEVERANVS.

GOETTINGAE,

litteris JOANN. CHRIST. DIETERICH. MDCCLXXVII.

From Med. Pph. 104
14063
Walter Channing, M.D.
Mar. 18, 1856.

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

EXPERIENTISSIMO

PAVL. HENR. GER. MOEHRING

MEDICINAE DOCTORI

SERENISSIMI PRINCIPIS

ANHALT. SERVEST.

CONSILIAR. AVLIC. ET IN CIVITATE ET DYNASTIA

IEVER. PHYSIC PROVINCIAL. ACADEM. IMPERIAL.

NATVR. CVRIOS. ET COMMERC. LIT.

NORIMB. SODALI.

HOC

QVALECVNQVE SPECIMEN INAVGVRALE

EA

QVA PAR EST

OBSERVANTIA, REVERENTIA, PIETATE,

OFFERT, DICAT, DEDICAT,

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Femina omnem morbum bis patitur, antiquum ſatis et veriſſimum eſt prouerbium; corpus enim muliebre virili magis ſpongioſum eſt, eius fabrica tenerior, mollior, et vis ſentiens adeo delicata, vt ſpaſmis, lipothymiis facile corripiantur mulieres. Fieri itaque non poteſt, quin in omni morbo mulieris ſymptomata ſint vehementiora, propter ſingularem ſtructuram et ſenſibilitatem ſolidarum partium, a qua maior eſt diſpoſitio ad malum illud, quod hyſterici nomine venit, et ab eo virorum, hypochondriaco vix differt, niſi gradu et multitudine ac vehementia ſymptomatum. Vix enim vterus ſolus eſt fons et origo paſſionis hyſtericae, ſed vniuerſum potius corpus afficitur et aegrotat. Menſtruorum autem ratio praecipua eſt cauſſa aegrotationis ſexus muliebris, vt menſtruorum initium non inepte finem multorum morborum, et menſtruorum ceſſationem, morborum ini-

tium dixerint nonnulli. Menſtrua enim iuſta aetate prouenientia ſuſtulerunt ſaepius conuulſiones, epilepſias aliaque damna grauiora, et ceſſantia iterum in aetate ſeneſcente, aerumnas augent ſenectutis. Sola vero menſtrui fluxus obſtructio, tanta euadit frequentioris et multiplicis aegrotationis cauſſa, vt vix morbi genus in vniuerſa Pathologia occurrat, quod non interdum conſiderandum ſit tanquam effectus anomaliae menſium. Febres enim, ſpaſmi et conuulſiones omnis generis, deliria, cachexia et chloroſis, hydrops, tumores varii generis, imo haemorrhagiae ex locis alienis, ab ea ſola cauſſa frequentiſſime natales repetunt, vt in omni morbo ad eam excretionem reſpiciendum ſit, primaque quaeſtio formanda, vtrum rite menſtruata ſit mulier, et omnes ii morbi ex menſtruorum obſtructione vix queant ſanari, niſi redierit menſtruus fluxus ſiue natura beneficio, ſiue rite adminiſtrata medela. Quare medendi ratio vitiis menſtrui fluxus praecipuam medicorum attentionem meretur. Quae vero cum non ſit eadem ſemper, periculum feci ſpeciminis loco, quomodo illa diuerſis ſibique non raro oppoſitis cauſſis accommodanda ſit. Tanta eſt enim multitudo cauſſarum quae menſtrua fluere non ſinunt, vt vix alius morbus tot cauſſas genetrices agnoſcat, quot doctrina de menſtruorum anomalia enumerat in quibus recenſendis breuis ero, nam de ſelectioribus remediis, quae aut ex principiis ſanioris theoriae indicantur, aut quae accuratior obſeruatio prae ceteris efficacia, et magis fida declarauit, ex inſtituto prolixius agam.

§. I.

Pathologia menſtrui fluxus generalis.

Deſunt interdum iuſta aetate, quum pubeſcit puella menſtrua, aut deficiunt ratione periodi et quantitatis, peccat qualitas menſtrui ſanguinis, et huic excretioni varia ſymptomata ſeſe iungunt, nimia fluunt ſaepe quantitate menſtrua, nimis mature et citius quam par eſt ceſſant, aut nimis diu in decrepita ſenectute fluunt, imo reuerti ſolent, non ſine ſanitatis ſenilis detrimento. Mirifice itaque ludit haec excretio, a qua maximam partem ſexus muliebris ſanitas pendet.

Emanſio iuſta aetate menſtrui fluxus ab iisdem ſaepe proficiſcitur cauſſis, a quibus alias obſtructio contingit. Medela itaque eadem. Sed interdum menſtrua fluere non incipiunt propter defectum ſanguinis, qui plerumque effectus eſſe ſolet morbi ſiue acuti ſiue chronici praegreſſi, qui debile reddidit corpus puellae et vires eius exhauſit. Quo quidem in caſu menſtrua pellentia remedia noxia forent, et ab iis abſtinere ſana iubet ratio. Auxilium potius ex materia alimentaria petendum eſt, et alimentis nutrientibus reſtituenda eſt humorum copia adeoque remouenda conditio morboſa, quoniam menſtrui fluxus apparitio eſt ſanitatis perfectae et vigoris virium effectus. Quae ſtrictius ad emendandam cachexiam, ſeu ſolidarum debilitatem et prauorum fluidorum qualitatem tradi ſolent praecepta, ea ſuis locis ſingula recenſebimus. Propius ad noſtrum pertinet argumentum conſideratio breuis atque ſuccincta cauſſarum, quae

menſtrui fluxus, qui iam adfuit obſtructionem efficere valent. Atque illarum tanta eſt multitudo tantaque varietas, vt et hic ſaepius cauſſae ſibi prorſus diſſimiles, et e directo oppoſitae eundem morbum producere valeant, quod quidem ipſis partim fundamentis artis noſtrae, partim obſeruatione practica confirmatur. Requiritur etenim vt menſtrua iuſta periodo iuſtaque copia iterum fluant, ſanguinis copia et qualitas decens, roburque vaſorum, neque nimis debile, neque nimis praeter naturalem in modum auctum. Cauſſa obſtructionis menſtrui fluxus nunc in toto corpore quaerenda eſt alia, alia vero in morbida vteri ipſius conſtitutione. Facile itaque concipitur, medendi rationem iis cauſſis eſſe accommodandam, et contraria ſaepius ratione obſtacula ſaluberrimi illius fluxus eſſe remouenda. Generatim autem iis auxiliis ſaepius eſt locus, quae impedimenta tollunt excretionis illius menſtruae, quam quae ſtimulo ſuo illam potenter mouent, et nocent magis ſapiſſime, immo ſanitatem magis labefactant. Non inepte pro cauſſarum diſcrimine conſiderabimus nunc ſeorſim quaeuis auxiliorum genera, quibus obtinetur, vt redeat menſtrua per circuitus purgatio, iuſto ordine, iuſtaque copia, morbique ab aliqua anomalia orti, profligentur.

§. II.

Plethora.

Etſi plethora quaedam non vnica ſit cauſſa, quae menſtruam per vterum purgationem impedire poſſit, praecipua tamen ab omnibus habetur. Vaſa enim a nimia ſanguinis copia

magis

magis quam par eſt expanſa, ſeſe conſtringere, horumque oſcula extrema occludi ab ea conſtrictione, vt ne guttulam quidem ſanguinis transmittere queant, ni fallor, axioma eſt medicorum. Non ſolum autem haemorrhagia illa menſtrua, eaque naturalis, ſed quaeuis alia excretio ſanguinis, ex vaſis haemorrhoidalibus, narium, aeque intercipitur a ſanguinis abudantia nimia, idque variis modis. Creſcente enim ipſa ſanguinis copia, plethora pura ſeu ſimplex mutari ſolet in ſpuriam. Sanguis enim ſpiſſeſcit, ſtagnat, in mucum vertitur, tandemque vaſa omne robur amittunt, ac vera chloroſis nunc ilico ſequitur, maxime accidentibus aliis ſimul cauſſis occaſionalibus eius morbi, quas hic recenſere ſuperfluum foret. Diuturnitate demum chloroſis tranſire ſolet in morbum hydropicum, et non raro quidem vniuerſalem, qui ſcenam ſaepe claudit. Nonnunquam vero ab eadem ſanguinis abundantia naſci ſolet fluor ille albus, quem benignum equidem vecant, atqui ſanatu non adeo facilis eſt, ſed moram tradit, omnemque nonnunquam ſpem medentis eludit. Fit aliquando, vt ex aliis locis oriatur loco menſtruae ex vtero purgationis, alia ſpecies haemorrhagiae, et quidem vel per ea vaſa, ex quibus alias quoque contingit ſpecie morbi ab aliis cauſſis haemorrhagia quaedam, vel ex viis plane in ſolitis, vt vix aliqua pars ſit corporis muliebris, ex qua non aliquando fluxerit ſanguis, isque copioſe ſatis, et ea periodo, qua menſtrua iterum fluere debuiſſent. Praecipui effectus menſium ſtagnantium iis perquam ſimiles ſunt, qui alias a plethora quacunque natales repetunt, ideoque non ſolum varii generis haemorrhagiae, ſed

etiam conuulſiones et ſpaſmi omnis generis, imo febres acutae ſanguineae, vt reliqua taceam mala, ex diuturna menſtruorum retentione poſſe naſci compertum habemus, deque ea re nullum ſupereſt dubium. Menſtruis a plethora obſtructis, malisque ſingulis inde oriundis, mature ſatis inſtituta ſanguinis miſſio plerumque medetur, vt vix ad reliqua auxilia confugiendum ſit, ſaltim ea non prius adhibenda, niſi antea ſanguis e vena miſſus fuerit. Euacuatio praecipuus eſt ſcopus, vt plerumque ad deriuationem ſimul reſpiciant medici, et venam pedis ſecare iubeant. Docet obſeruatio, fruſtra adhiberi reliqua omnia pharmaca, neglecta ſanguinis miſſione, et perinde obſeruatio docuit, menſtrua eo temporis momento interdum fluere cepiſſe, quo ſanguis ex vena ſecta flueret in femina valde plethorica. Generalia indicantia neceſſitatis mittendi ſanguinis ſunt vaſa turgida, corporis robur et rubor, facies florida, artuum grauitas, vaſorum pulſatio, calor auctus, pulſus plenus, nunc magnus, nunc depreſſus pauliſper durus, parcior ſubinde aut largior ex naribus haemorrhagia, capitis dolor, et obnubilatio ſenſuum, et quae ſunt reliqua plethorae ſigna.

§. III.

Rarefactio.

Plethora praeſente ſanguineque nondum ſpiſſo viſcidoque ſaepius rarefactio ſeu commotio ſanguinis, quae vaſa vehementer expandit, alterum ſiſtit impedimentum purgationis menſtruae. Quo quidem in caſu temperantia aeſtum et motum vaſorum

ſorum nimium valde ſunt neceſſaria. Selectiora temperantia, quae hunc effectum praeſtant, cenſentur *nitrum* cryſtallifatum purum, *Cremor tartari, ſal acetoſellae* genuinum, acida grata vegetabilia, *ſuccus citri, limonum, acetum,* quae varia forma praeſcribi ſolent. Quidquid ſanguinem commouet et exaeſtuat, magis nocet et febrim accendere ſolet, aut periculum auget haemorrhagia ex alienis locis oriunda.

Viragines et athletica valetudine gaudentes puellae ſaepius nimis ſanae in hoc genus morbi incidunt, quod menſtrua fluere non ſinit, vt robur nimium ſit minuendum victu parco, tenui, non adeo lauto, abſtinentia, moderata corporis exercitatione, ſomno parciori et adhibitis nonnunquam laxantibus antiphlogiſticis, quae ſubtrahunt absque commotione pauliſper atque minuunt nimiam ſuccorum copiam qui vaſa replent atque diſtendunt. Calor phlogiſticus ſaepe tunc vexat puellas, genae rubent fere ſemper ac ſplendent, oculi fulgent, vaſa capitis et colli pulſant, et manifeſta adſunt indicia, vaſa micantia nimium exſtimulari nimiamque eſſe vaſorum irritabilitatem. Potus aqueus, acidulus, leniterque mucilagine teneriori impraegnatus egregie medetur illis moleſtiis, et vt verbo complectar, medendi ratio debet eſſe eadem, quae febribus continuis ſanguineis, et ſanguinis profluuiis ab excedente commotione vulgo praecipitur. Diaeta ſuadet vſum victus vegetabilis, fructus horaeos maturos, ſomnum non nimis diu protractum, tepida pediluuia ex aqua fluuiatili et farina ſecalina, aut aliis herbis emollientibus parata. Vitanda quoque animi pathemata, quae ſanguinem

vehe-

vehementer commouent. Alui obſtructio non facile admittenda eſt, ſed tollenda ilico laxantibus illis antiphlogiſticis aeſtum ſanguinis et bilis feruidae corrigentibus, quibus ſimul ſpaſmi abdominis, obſtructionis aluinae cauſſae, remouentur.

§. IV.
Spiſſitudo ſanguinis.

Inueterata iamiam obſtructione menſtrui fluxus, ſanguineque nimium accumulato, propter diuturnam retentionem, is nunc ſpiſſeſcit illudque viſcidum generatur imprimis, quod BOERHAAVIVS glutinoſum appellauit. Viſcidum illud glutinoſum tenaciter vaſis adhaeret, et demum gignit chloroſin atque hydropem et particularem et vniuerſalem, nec non aſthma pituitoſum. Quare ſingulis morbis recenſitis ſaepiſſime iisdem remediis apprime medetur. Quum humorum viſciditas iamiam adſit, reſpiciendum eſt inprimis ad morbi diuturnitatem, et gradum viſcidi glutinoſi, ne adhibeantur praepoſtere fortiora quaedam reſoluentia, cum ſufficere adhuc videantur mitiora, quibus in omni fere caſu tentandum eſt initium curationis. Ea enim medicamenta, quae vehementer attenuant et diſſoluunt, inquinant plerumque ſanguinem acrimonia quadam, et mixtionem ſingulis naturalem deſtruunt ac ſtimulo ſuo ſolida magis relaxant, et recenſitis modis cachexiam augent, imo ad hydropem vniuerſalem diſponunt. Reſoluentia draſtica partim reſolutione humorum, partim vero ſtimulo ſuo periculoſum vteri haemorrhagiam haud raro producunt, vt itaque aut nunquam,

aut

aut admodum caute adhibenda ſint. Reſoluentia ſelectiora, ex ſalium claſſe hic laudes merentur, primo *tartarus tartariſatus* ille forma pulueris per aliquot tempus vſu continuato exhibendus. Reſoluit enim blande; nec adeo vehementer relaxat ſolida, ſicut reliqua ſalia ex claſſe mediorum, et omnium iamiam maximas ſibi laudes promeruit in attenuandis viſcidis humoribus, et vix cedit *arcano tartari*, quae medicina fere nimis praetioſa, et ſaltim non ſuperat efficacia ſua tartarum tartariſatum. Non tamen ſpernenda ſunt reliqua ſalia media v. c. *ſal digeſtiuum febrifugum ſyluii*, *ſal polychreſtum* GLASERI, *ſal ſcignette*, *tartarus vitriolatus*, et *arcanum duplicatum* modo puriora ſint, nec metalli noxii quidquam admixtum habeant. Princeps vero reſoluentium ſalium, et potentius ſtimulantium iure habetur *ſal ammoniacum* aut pulueris forma propinandum, aut forma potionis ex aqua florum Chamomillae, vel Meliſſae, vel Pulegii. Dantur plures ſaponum ſpecies, quibus eximia ineſt vis reſoluens, et qui apprime in hoc caſu conueniunt, ſcilicet *Sapo venetus*, vel *alicantinus*, vel *ſapo vegeto mineralis*, ex oleo oliuarum puriſſimo, et ſale alcali fixo minerali compoſitus. Praeſtat quoque parciori doſi *ſapo ſtarkeyanus*, ſeu *corrector Matthei*, ſi reliqua remedia non ſatis efficacia videantur. Vix autem haec ſaponacea medicamenta forma alia, quam pilularum praeſcribi poſſunt. Diſplicet enim ſapor nauſeoſus. Attenuant quoque humores ſpiſſos medicamenta varia gummeo-reſinoſa, ſcilicet *gummi ammoniacum*, tum forma pilularum cum aliis mixtum, quam forma potionis in aqua Pulegii, vel hyſſopi diſſolutum, cui aut mel ſim-

plex, aut oxymel ſimplex non inepte admiſcetur. *Scilla* et varia eius praeparata, infuſum nempe vinoſum, cum aromate quodam, calamo aromatico, Cinnamomo, corticibus aurantiorum paratum, *acetum ſquillae*, *oxymel* eius, vel eſſentia praeclare quoque gluten illud deſtruere valent. Scilla ſubinde nonnunquam in puluere ſolet praeſcribi, ad pauca ſcilicet grana pro doſi, cum ſale quodam medio, puluere millepedum bene ſiccatorum et aromate. Si enim ſquilla praeſcribitur absque aromate, fere ſemper ventriculo inimica eſſe ſolet, et nauſeam facit. *Radix ari* aliaque ſimilia medicamenta ibidem vna cum ſalibus ſolent praeſcribi. Sanguinem cachecticum emendant, et obſtructiones ſoluunt extracta non pauca ſaponaceae indolis, et amaricantis aut aromaticae qualitatis. Nominabimus ſaltim hoc loco, cum ſingula recenſere nimis foret prolixum, *extractum Abſinthii*, *Cardui benedicti*, *florum Chamomillae*, *Ariſtolochiae*. *Centaurii minoris trifolii fibrini*, *Taraxaci*, *Fumariae*, *Marrubii albi*, *Enulae*, ex quibus commode ſatis nunc elixiria ſpiſſioris vel dilutioris conſiſtentiae parantur, vel vnacum ſaponaceis gummoſis in pilulas redigi ſolent. Saepe quoque extractum quoddam. v. c. *taraxaci* et *fumariae* et *tartarus tartariſatus* in larga portione aquae cuiusdam deſtillatae et quidem ad mentem Ill. BALDINGERI praeceptoris amantiſſimi, taraxaci per fermentationem paratae diſſoluitur, et cochleatim cum euphoria porrigitur, vt ipſe ſaepius, inprimis muliere, ſcabie humida laborante, obſeruaui. Pilulae virtutis eximiae formantur ex *gummi ammoniaco*, *ſapone*, et quodam extracto, ſyrupi aurantiorum, abſinthii, fumariae ope, et conſperguntur cinnamomo,

pul-

puluere radicis ari, cardomomi etc. Eſt enim lex praecipua artis medendi, nonniſi ſelectiora medicamenta, et vere efficacia eligere, atque illa forma, quae omnium maxime idonea, praeſcribere.

§. V.

Laxitas vaſorum et fibrarum.

Ex ordine quidem nunc dicendum eſſet de corrigenda ſanguinis tenuitate nimia. Quae nonnunquam cauſſa eſſe ſolet emanſionis et obſtructionis menſium, et quae poſcit condenſantia remedia. Sed cum vix vnquam adſit haec tenuitas, quae non ſit effectus laxitatis nimiae vaſorum et fibrarum, non dubitaui hoc vitium conſiderationi meae ſubiicere. Eadem enim medicamenta reliquaque auxilia, quae medentur laxitati corporis, ſanguinem quoque ſimul addenſant, globulorumque rubrorum copiam augent, quorum defectus praecipua exiſtit cauſſa morboſae tenuitatis humorum. Notiſſima quoque res eſt, in debili et laxo corpore ſufflaminari et imminui neceſſariam excretionem humorum aqueorum per cutim, vt horum accumulatio in contextu celluloſo totius corporis ſit effectus immediatus imminutae perſpirationis. Princeps in eo caſu emmenagogum eſt *cortex peruuianus*, quem nuperi non inepte donum diuinum, remedium diuinum appellant. Vſu enim corticis continuato fieri ſolet, vt ſenſim ſenſimque detumeſcat corpus antea tumidum, laxum pallidumque, atque aucto vigore virium pulſuque et calore ſanguinis, redeat quoque rubor et faciei et totius corporis, ſimulque

que integritas omnium functionum oeconomiae animalis, mensque ipſe hilaris fiat, et menſtrua iuſta periodo ſingulis menſibus fluant. Cortex pulueris forma, modo non adſit ſumma ventriculi debilitas, aut alia contra indicatio, exhiberi debet; nam reliqua eius praeparata mitius agunt. Summe vero debilibus puellis porrigi ſolent aut decoctum corticis peruuiani, aut infuſum cum menſtruo aquoſo paratum. Alterum heroicum medicamentum conſtituit *limatura martis*, eiusque tinctura pomata. Nullum in vniuerſa materia medica medicamentum, quod eodem iure mereatur haematopoetici nomen, quam mars, princeps remediorum, quae valent augere cruoris copiam. Demonſtratum dederunt viri Cl. MODELIVS et GMELINVS per inſtitutam analyſin chemicam, principium roborans corticis peruuiani potiſſimum particulis illis martialibus debere, quae in mixtione eius deliteſcunt. Summo itaque iure iam diu medici dederunt *corticem peruuianum* ſimulque *martem*, idque forma tam pulueris, quam infuſi ex vino acidulo, et aqua parati, illisque adiecerunt gratum quoddam aroma, v. c. *cinnamomum*, *corticem winteranum*, *culilawan*, *caſſiam ligneam*, *caryophyllatam*. *Cortex peruuianus*, *mars*, *gentiana rubra*, *cortices aurantiorum*, curaſſauienſium inprimis, caeteris ſingulis roborantibus facile palmam praeripiunt, atque eam ob cauſſam in omni morbo a fibra valde debili et laxa conueniunt, et menſtruis a laxitate retentis eximie medentur. Aromata vero commode ſatis pulueris forma aſſumi poſſunt, aut haec pro grato ſapore reliquis adiiciuntur. Si quis deſideraret elixir quoddam roborans, illud facile obtineri poſſet miſcendo *extractum gentia-*

nae

nae rubrae, *caſcarillae*, *corticum aurantiorum*, eaque ſoluenda in aqua menthae piperitidis, vel cinnamomi vinoſa, quae ſi nimis calide videantur, eligi deberet aqua meliſſae. *Centaurii minoris extractum* prae ceteris amaris vi gaudet roborandi, ſed et *extractum millefolii* non contemnendum eſt. Ex gummatibus et reſinoſis roborantibus ſeſe commendant *myrrha rubra*, et ſic dictum *gummi hederae*. Pilulae quae vulgo balſamicae vocantur ex laudatis modo extractis et gummatibus roborantibus formari ſolent. Hic inter ſelectiora pharmaca, quae reſoluunt ſimulque robur augent, nominandi veniunt *flores ſalis ammoniaci martiales* parua doſi exhibendi. Sed reliqua auxilia interna et praeſidia diaetetica non omittenda ſunt. Scilicet frictiones modicae, quotidie inſtituendae ſenſimque augendae, quae enim reſorbtionem humidi ſtagnantis in contextu celluloſo iuuant, et calorem ac pulſum augent. Poſſunt vero inſtitui panno aſperiori, fumo ex gummatibus ac reſinoſis incenſis bene impraegnato, cui ſcopo inſeruiunt maſtiches, olibanum, ſuccinum, lignum iuniperi, et quae ſunt reliqua eius generis. Victum quod attinet, abſtineant puellae a potu aqueo et calido, a iuſculis, rebusque ſingulis, quae robur infirmant, ac copiam ſeri nimis augent. Panis conducit bis ſaltim bene coctus, et cum aromate quodam, et hauſtus vini meraci conuenit. Quae habitum corporis laxum ſpongioſum emendant, ſimul corrigunt etiam ſeroſam colluuiem, qua turget corpus, vt hic loci ſingularia quaedam medicamenta recenſenda non inueniam.

§. VI.

Rigiditas.

Rigiditas vaſorum ſubinde tanta eſt, vt ſanguis exire nequeat per vltima oſcula eamque ob cauſſam praecipue menſtrua deficiant. Id vitium ſaepe occurrit, quo viragines imprimis laborant. Dura nimis fabrica vteri ſolius interdum accuſanda videtur. Facile patet obſtacula eſſe remouenda, vt vaſorum oſcula ab impetu irruentis ſanguinis facile queant diſtendi, ſicque promanare queant riuuli ſalutiferi, a quibus fere maximam partem puellarum ſanitas pendet. Praecepta therapiae generalis nobis auxilia ſequentia indicant, emollientia ſcilicet varia forma applicanda v. c. balnei, pediluuii, ſemicupii, fotus, fomenti, clyſteris, quae ſingula tepide applicanda. Et interne eo in caſu locum habent emollientia ſelectiora, nam ex mea ſententia, quaeuis indicatio in vniuerſa praxi, paucis iisque ſelectioribus medicamentis abſolui poteſt, et multitudo prodit vanitatem, farrago ignorantiam medici practici. *Altheae radix*, *maluae folia*, *verbaſcum*, *ſemen foenu graeci*, *melilotus* ſufficiunt, ſi clyſmata et fotus deſiderantur. Pro decocto interno item ſufficit *Altheae decoctum*, aut verbaſci, cui loco omnium ſyruporum admiſceatur *ſyrupus altheae*. *Saponaria radix* et herba pro decocto et ptiſana queuis alia, quae mucilaginem continent lubricantem, ſuperat. Semicupia et clyſmata potiſſimum tollunt rigidam vaſorum conſtrictionem, ſanguinemque verſus peluim et vterum alliciunt; ſicque ſpem adimplent. Tanta ſaepe eſt rigiditas et immeabilitas

va-

vaſorum, vt ſanguis ea permeare prorſus non poſſit, et propter piceam tenacitatem ſanguinis atque infarctus vaſorum abdominalium, nec lenioribus remediis ex ordine emollientium et reſoluentium leniorum cedere velit rebelle malum. Quis neſcit enim arduum ſaepe eſſe negotium medici reſtitutionem menſtruorum. Saepe enim fruſtra ſolent exhiberi ſelectiora et vere efficacia emmenagoga, quae alias valde vtilia deprehenſa fluere, et tamen fruſtari ſpem medentium. Si nec iuuant ea remedia, quae ſupra recenſuimus iamiam reſoluentia, humectantia, ſimiliaque, tunc licet tentare alia, quae magnam vim habere ſcimus. Etenim nondum nominaui ſerum lactis, quod verno imprimis tempore apprime conuenit bibere cum ſuccis herbarum recenter preſſis, e quibus prae aliis ſeſe commendant, *cichorei radix, taraxaci radix et herba, fumaria, cherefolium* etc. Tanta copia haec aſſumenda ſunt, vt aluus fiat mollis imo liquida. Quum vero ventriculi robur infirmare ſoleant eius generis attenuantia, conuenit binis vicibus ſingulis diebus propinare elixirium quoddam ſtomachicum. Eximiam vim ſtomachicam *elixirii* illius HOFFMANNI ad mentem KLEINII emendatum, mirifice prodeſſe, caeteriſque longe anteponendum eſſe, certiſſime ſum perſuaſus. Quodſi denique ſimul propinentur pilulae, quales ſunt TISSOTI, ex *ſapone gummi ammoniaco* et *extracto Taraxaci*, vel ſimili, ſaepe viſum eſt malum valde rebelle his remediis ceſſiſſe. Nil potentius medetur pertinaciſſimis obſtructionibus inſimi ventris, enemate ex ſapone, aut gummi ammoniaco bene trito, tepide applicato.

§. VII.

§. VII.

Torpor.

Torpent non raro fibrae muſculares vteri eiusque vaſa, aut quod nimis ſint laxae aut nimis rigidae. Nolo illud genus duplex torporis prolixiore ſermone hic exponere, cum res ipſa ex pathologicis ſit notiſſima. Quae fibra torpet rigida nimis, illi iuſta irritabilitas reddi ſolet blandis mucilaginoſis, humectantibus et lubricantibus. Si vero torpor ſit effectus fibrae laxae, debilis, tunc indicantur ſuauia ſtimulantia, iuſta vero doſi, nimia nunquam propinanda quae et irritant modice fibras, et ſanguinem paulisper turgeſcere, ac incaleſcere efficiunt. Sunt vero haec ſtrictiori ſenſu emmenagoga appellanda, nam pellunt vere ſanguinem verſus vterum, eiusque irritabilitatem, vim illam viuam augent. Quanquam ea pharmaca nolim ſpecifica appellare, tamen res eſt notiſſima, ea vix vnquam ſpem fallere. Caue tamen, ne praepoſtere adhibeas, minimeque omnino ſi adſit plethora, quam ilico commouent certiſſime. Sunt potiſſimum olea illa calida aetherea fere quaeuis, forma elaeoſachari propinanda, ſcilicet *meliſſae*, *rutae*, *cinnamomi*, *chamomillae*. *corticis culilawan*, et *oleum* quod appellatur *caiaput*. *Aquae deſtillatae* nonnullae oleo eſſentiali plus minusue diuites, *meliſſae*. *chamomillae*, *rutae*, *menthae*, *pulegii* imprimis hic quoque locum inueniunt, nec non ſalia volatilia *cornu cerui*, *ſuccini etc.* et extracta varia gummeoreſinoſa, *extractum enulae*, aliaque inter reſoluentia partim recenſita iamiam medicamenta, et extracta acria. Peruetuſta ſatis eſt

mix-

mixtio *aloes, myrrhae et croci*, quae tria pharmaca ingredi ſolent ſexcentum fere formulas, olim officinales, pilulas, elixiria, quae compoſita non ſolum in fluxus menſtrui obſtructione, ſed haemorrhoidum quoque nimiis laudibus exornabant medici vetuſtiorum temporum. Noſtro autem tempore rarius praeſcribi ſolent, et nonniſi circumſpecte, et parca doſi, imo laxioribus corporis habitus puellis concedenda ſunt. Exaeſtuant enim vehementer, et nimium rarefaciunt ſanguinem, poſſuntque tanta vi exſtimulare vaſa, vt oriatur vera vteri haemorrhagia. Idem dicendum eſt de vſu *extracti hellebori*, cuius abuſus quoque peſſime nocet, rectus vero ſaepiſſime profuit mirifice. *Borax* tantam vim pellentem non poſſidere videtur, quantam fecerunt medici olim, et iſtud genus ſalis anomali ſuperfluis remediis adnumerare nullus dubito. Malim quoque abſtinere a *ſabina* eiusque praeparatis, cum repetitis abſeruationibus confirmatum ſit, abortiuum illud ſanguinem nimium diſſoluere, et vix parciſſima doſi tuto ſatis poſſe adhiberi. *Electricitas*, quae ſaepius omnino reſtituit menſtrua arte non alio modo, quam ſtimulando ſyſtema vaſorum, profuit, vt febre per artem inducta, et orta rarefactione ſanguinis, oſcula vaſorum dilatata globulos ſanguinis transmiſerint.

§. VIII.

Irritabilitas nimia.

Vt torpet ſaepe fibra animalis, ſic e contrario nimis ſenſilis interdum deprehenditur, eaque nimia irritabilitas euadit cauſſa

ſpaſmorum vteri, vt propter ſpaſmos menſtrua purgatio non poſſit habere locum. Sunt itaque frequentius ſelectiora medicamenta antiſpaſmodica et antihyſterica praecipua auxilia, quorum vſu reuocantur menſtrua. Eius generis maxime efficacia pharmaca ſunt *moſchus. aſſa foetida, caſtoreum, valeriana ſylueſtris, artemiſia, matricaria flores chamomillae,* horumque praeparata, pulegium, hyſſopus, meliſſa, et iuſta doſi *opium* ipſum, et *laudanum liquidum* SYDENHAMI forma dilutiori ex aqua meliſſae imprimis propinatum. Neminem fugit, vnumidemque genus medicamenti prodeſſe ſaepius eam ob cauſſam, quod eius effectus plurimis indicationibus ſimul poſſit ſatis facere. Hoc inprimis affirmare poſſumus de efficacia antiſpaſmodicorum, quae non ſolum ipſis fibris nimium irritabilibus medentur, ſed quoque ſanguinis qualitatem adeo inuertere videntur, vt nunc facile poſſit oriri menſtrua per vterum purgatio. Idem dicendum eſt omnino de efficacia remediorum fere omnium, quae antea iamiam a nobis recenſita fuere. Gummata enim, quae vulgo ferulacea appellantur, puellis non rite menſtruatis ſaluberrima cenſentur medicamenta, quae non ſolum viribus reſoluentibus eximiis gaudent, ſed quoque ſimul ſpaſmis egregie medentur. *Gummi ammoniacum, galbanum, opoponax* et quae ſunt reliqua ab antiquiſſimis temporibus ad noſtra vsque, laudes ſibi promeruerunt iuſtas propter vim reſoluentem et ſimul antiſpaſmodicam, vt dubitare liceat omnino, quaenam vis primaria dicenda ſit, nam aeque mirifice medentur obſtructis viſceribus, quam ſpaſmis vaſorum muſcularium, et neruorum ſenſibilitati nimiae. *Extracta*

varia

varia, *chamomillae*, *ariſtolochiae*, *enulae*, aliaque emmenagoga ſic dicta v. c. *myrrha*, olea deſtillata aetherea plurimis quoque indicationibus ſimul ſatisfaciunt, reſoluendo ſcilicet humores, ſtimulando leniter, nec non ſopiendo ſpaſmos. *Aqua* illae *ſoteriae*, quarum vim remedialem in ſanandis menſtrui fluxus vitiis fere nemo ignorat, ſpem medentium adimplent, quatenus horum vſu plures morbi cauſſae ſimul remouentur. Vnum tantummodo vt adducam exemplum, aquae *pyrmontanae* propter vim reſoluentem, purgantem, diureticam, roborantem principem locum inter emmenagoga iam dudum obtinuere. Ab ea vi et efficacia multiplici et varia, quae per multis ineſt remediis et auxiliis medicorum, vnice pendet quoque vnius eiusdemque medicamenti vſus eximius in plurimis morborum generibus, quae typo quidem et ſchemate diuerſitatem aliquam produnt, ſed ab iisdem cauſſis oriri ſolent. Ea enim ſingula remedia, quae hactenus a nobis recenſita fuere, non ſolum medentur menſtruis obſtructis, morbis epilepticis et maniacis, melancholicis aliisque, ab obſtructione menſtruorum ortis, ſed quoque iis morbis non a menſtruis retentis natis, imo aliis, alia ſpecie ſaepe ludentibus.

§. IX.

Euacuantium vſus multiplex.

Iam vero dicendum eſt de vſu recto emeticorum, purgantium, et diureticorum quoque ad menſtrua reuocanda; quae ſingula, iſto tempore adhibita multum iuuant ſcopum medentium; praepoſtere vero applicata non impune adhibentur, peſſi-

meque nocent. Incipiamus primo ab emeticis, quae ſelectiora cenſeo *Ipecacuanham*, *Tartarum emeticum* bonae notae. *ſulphur antimonii auratum*, *ſcillam*, vt reliqua taceam, quae ſuperflua videntur. Eſt vero ſaburra primarum viarum, humorum viſcidorum, glutinoſorum et bilis haud vltima cauſſa ſpaſmorum qui conſenſus lege occludunt oſcula vaſorum vteri, vt riuuli ſanguinis fluere non queant. Euacuatio itaque per vomitoria tollit cauſſam praecipuam obſtructionis menſtruorum, vt ſolo vſu emetici poſſit nonnunquam remoueri. Saepe ingluuies cibi viſcidi, e genere placentarum, et farinaceorum, ſubito ſufflaminat menſtruorum excretionem, hinc non inepte turpis hoſtis ilico eiicitur, modo nihil prohibeat emetici vſum ſcilicet aliqua labes viſcerum, vel aliud vitium, in quibus recenſendis hic nolo eſſe prolixus, cum ea ex principiis therapiae generalis cognita iamiam hic poſſim ſupponere. Sed emetica non ſolum proſunt, quatenus euacuant in chloroticis puellis humores noxios et ſaburrae copiam inſignem, multo magis enim praeſtant concutiendo viſcera obſtructa inſimi ventris, ideoque viſcidum mobile reddendo. Vomitus denique ſuccutiendo viſcera infimi ventris deriuat et allicit ſanguinem verſus peluis viſcera, et vterum ipſum partim ſucciplenum reddit, partim vero ſuauiter irritat, eiusque torpidas fibras animat quaſi, vt itaque ſatis late pateat eximius effectus emeticorum, iuſto tempore iuſtaque doſi exhibitorum. Quamquam doſis medicamenti emetici videatur parca, nulla tamen magis efficacia remedia in vniuerſa materia medica occurrunt, et vis horum antiſpaſmodica recentiori aetate demum ma-

gis

gis magisque innotuit. Propter inſignem efficaciam, qua gaudent emetica in ſopiendis ſpaſmis in infimo ventre vix vnquam ſatis laudantur. Sed haec de emeticis. Purgantia et diuretica quoque multis modis iuuant, ſcilicet euacuando, aperiendo, ſtimulando. Dubitare licet nonnunquam, vtrum magis efficacia dicenda ſint emetica, an vero purgationibus praecipua laus tribuenda ſit. Momento temporis operationem perficiunt emetica, illisque analoga purgantia, ſed horum effectus poſt aliquot temporis interuallum demum animaduertitur. Vtraque vero interdum repetenda ſunt, interdum primo emeticum exhibendum, ac deinceps purgans, horum vero neutrum, niſi ſaburra prius mobilis reddita fuerit. Quare digeſtiua et reſoluentia illa, ſupra iamiam recenſita, praemittenda ſunt, ſubinde vero euacuans praemittendum reliquis incidentibus. *Rheum, aloe, mercurius dulcis*, purgantia reſinoſa eligenda ſunt pro varia indicatione, quae ex habitu corporis, indole ſaburrae eliminandae, colligitur. Plethoricis, ſenſibilioribus nonniſi antiphlogiſtica purgantia exhibenda ſunt, laxis vero corporibus non aeque nocent ſtimulantia fortiora, quibus non raro ſolent ſimul vermes expelli, a quibus ſaepiſſime menſtruorum obſtructio ſolet oriri, quod vel ſolum ROSENSTEINII teſtimonium luculenter ſatis confirmat, ſi quis dubitare vellet. Nocet ſolummodo abuſus purgantium draſticorum et peruerſa electio. Irritant vero ſingula non ſolum inteſtina, ſed conſenſus lege quoque partes vicinas omnes, nihilque potentius tandem ſuperat torporem vteri, purgantibus. Imprimis vero ſeſe commendant laxantia vulgo per epicraſin dicta,

ex rheo, *fibris hellebori nigri*, *ſummitatibus abſinthii* ſimilibusque, cum aqua feruida, tandemque vino infuſis, quotidie tanta copia exhibenda, vt lenis eaque critica alui euacuatio obtineatur, et tantum abeſt, vt horum vſus imminuant vires corporis, vt potius augeatur robur et agilitas. Et emetica et purgantia non omnem vim in primis viis tantum abſoluunt, pars bona ad ipſam ſanguinis maſſam penetrat, humores viſcidos diſſoluit, et per emunctoria cutis et renum excrementitios liquores expellit. Diuretica ſelectiora, quae augent ſolummodo copiam excretionis vrinae, absque nimia tamen ſanguinis reſolutione, et potius eliminant ſuperfluos humores aqueos, magni ſunt vſus in fluxu menſtruo in ordinem iterum redigendo. Vt generatim damnanda ſunt ſtimulantia nimium et draſtica reſoluentia, quibus adnumeranda ſunt aloetica, et nimis acria, ſic e contrario blandiora facile admittenda ſunt. Euiluit hodie vſus tincturae cuiuscunque fere ex antimonio, quae praeter alcali nihil continet, ſed cuius vis alcali cauſtico ſolummodo debetur; attamen *ſulphur illud auratum liquidum* non ſolum tuto, ſed cum euphoria aegrotis puellis praeſcribitur. Illud ſolummodo generatim monendum eſt, nocere inprimis balſami natiui et reſinae cuiuscunque abuſum, quae ad menſtrua aut nunquam, aut parciori ſolummodo copia adhiberi velim.

§. X.

Auxilia externa.

Haec de internis medicamentis. Externa nunc auxilia breuiter atque ſtrictim pertractanda ſunt. Cuiuscunque vero ſint ge-

neris; redit horum virtus vel ad vim deriuantem vel reuellentem. Quamquam enim quaedam ex iis ſpaſmis mederi poſſint, nullus tamen dubito, haec deriuantibus adnumerare. De vſu frictionum et fotus generibus, pediluuiis, aliquoties iamiam dictum fuit. Singula illa reſiſtentiam vaſorum vteri imminuunt, ſpaſmos tollunt, relaxant, ſanguinisque congeſtionem verſus vterum alliciunt. Praeter ea ſuperſunt e praeſidiis communibus cucurbitae ſiccae, cruribus et abdomini aliquoties applicandae, vicibus repotitis, peſſaria ex neruinis, antihyſtericis leniterque irritantibus conficienda. Neque demum deneganda eſt efficacia variis externis remediis, forma linimenti, emplaſtri, vnguenti abdomini applicandis, ex emollientibus, carminatiuis et ſic dictis vterinis deſumendis. Non inepte quoque Cl. *Krünitz* matrimonium, ſcilicet honeſtum, multorum morborum remedium dixit. Etenim non ſolum experientia ſaepius docuit, puellas coloris et habitus chlorotici viro nuptas conualuiſſe. Ex ſolo quoque veneris deſiderio puellae, quod notiſſima res eſt, in chloroſin incidunt et menſtruorum obſtructionem. Concubitus vero, conceptio, et ſanguinis poſt partum legitimum profluuium, ſic disponunt vterum, vt deinceps iuſto tempore, iuſtaque copia fluxus menſtruorum redire ſoleat. Vltimo demum commendamus in omni fere obſtructione menſtrui fluxus diuturna, cui ſymptomata gravia ſeſe ſociant, ſumme neceſſariam alias et vtiliſſimam in arte obſtetricia encheireſin, explorationem ſcilicet per tactum. Non raro enim hymen nimis craſſum et non perforatum, aut membrana toto genere praeter naturam genita, occlu-

dit

dit vaginam vteri et impedit effluxum ſanguinis. Rariſſime quidem hoc contingit, at proſtant tamen exempla, ab ea ſanguinis impedita excretione intumuiſſe aliquando abdomen, non ſine ſuſpicione vteri gravidi, ac deinde apparuiſſe periculoſiſſima ſymptomata, quae ſtatim euanuere, inciſo hymene, aut diſſecta membrana, vt efflueret ſanguis diu retentus, foetidiſſimi odoris et valde corruptus. Coalitus vaginae et orificii vteri ſimile obſtaculum interdum fuit repertum, ſuntque et alia vitia vteri cauſſae obſtructionis menſtrui fluxus; ſed de illis et eorum medela nobis non eſt ſermo, quare hic eſto

FINIS.

The-

Theſes.

I.

Tranſſpiratio ſanctoriana absque ſanitatis detrimento minui, imo ſupprimi poteſt.

II.

Omnia vaſa tum arterioſa, tum venoſa et lymphatica eſſe irritabilia cum VERSCHVIR *aliisque credo.*

III.

Fluxus menſtruorum periodicus non a Plethora ſola explicari poteſt.

IV.

Flores Arnicae et radix Ipecacuanhae quoad vires ſibi ſubſtitui poſſunt.

V.

Febres putridae et malignae non vnum idemque morbi genus conſtituunt.

VI.

Non tam Exanthemata, quam potius febrim obſeruare debet practicus.

VII.

Cauſſa materialis morborum periodicorum in ventriculo et inteſtinis latet.

VIII.

Ex pulſu ſolo nil certi neque cognoſci neque prognoſci poteſt.

IX.

Lingua nec pura nec impura non ſemper praecordiorum ſtatum indicat.

X.

Salia volatilia alcalina putredinem humorum circulantium augent.

XI.

Suturae cruentae omnino ſunt reiiciendae.

XII.

Partus ſerotini, vbi foetus viuus, ficti eſſe videntur.

XIII.

Solutio placentae eſt ſaepe optimum remedium ad ſiſtendam vteri haemorrhagiam.

XIV.

Vterus grauidus non a mole embrionis expanditur.

XV.

In amauroſi pupilla non ſemper eſt immobilis et dilatata.

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D.

E. G. BALDINGER,

MED. PROF. ET. H. T. ACAD. PRO-RECTOR,

Qui TE *norunt omnes fateri tenentur, ingenio docili* TE *eſſe praeditum; nos vero in academia Gottingenſi teſtes fuimus, diligentiae* TVAE *ſingularis, morum probitatis et eruditionis eximiae, quam ante aliquot menſes coram ordine meo ſatis abunde probaſti. Ego vero frequentem ſatis occaſionem habui,* TE *penitius noſcendi, cum inter ſodales exercitationum clinicarum quotidie animaduerterem cupiditatem, qua multos antecellis, diſcendi, et obſeruandi ſtudium, vt nunquam dubitauerim,* TE *fore olim eximium medicum. Nec dubito de ſtudio in medendis morbis perquam neceſſario, abs* TE *olim adhibendo. Vehementer itaque laetor de felicitate* TVA, TIBIque *ex animo gratulor ſummos in medicina honores, mihi vero doctiſſimum diſcipulum, quem ab omni tempore vehementer amaui.*

Vale ad ſeros vsque annos ſaluus et incolumis, meique ſemper ſis memor Scrib. Gottingae d. 21. Martii 1777.

D 2 VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

L. TOEL.

AMICO SVO INTEGERRIMO

S. D.

G. BICKER

MEDIC. DOCTORAND.

OPPON.

Studiorum ſimilitudinem, optimum amicitiae vinculum, quam vere a diuo oratore dicatur, haec noſtra iucundiſſime nos docuit amicitia: in qua quidem celebranda, licet verboſus eſſe nolim; ne TVIS *auribus, aut vulgari eorum, qui publice amicos ſuos alloquantur conſuetudine, quicqam dediſſe videar, attamen a ſuauiſſimae rei breui ſaltem commemoratione, quis facile abſtineat! Ex quo enim ſingularem* TVAM *humanitatem, animi candorem, ingenii praeclaram indolem, doctrinae copiam cognoui, cognoui autem, ſimulac* TE *propius videre contigit, ita ſtatim magni* TE *feci atque aeſtimaui, vt inter* TVOS *eſſe vehementer cuperem. Quod cum mihi mox vſu venerit; quam grato animi mei ſenſu amicitia* TVA *fruitus ſim, quantopere animorum ſtudiorumque ſimilitudine, iucundiſſimarum confabulationum crebra familiaritate, mutuo officiorum vinculo, confirmata deinde in dies ea ſit, aucta atque ſancita, non eſt quod dicam. Quae cum ita ſint, quid mihi gratius; optatiuſue accidere potuiſſe putas, quam honorum iamiam* TIBI *impertiendorum teſtem eſſe laetum, eosque* TIBI *verbis amiciſſimis publice gratulari poſſe. Extenuat quidem aliquantum atque minuit hanc animi mei voluptatem,* TVVS *qui ſimul inſtat ad patrios lares reditus, quem ſane ferre vix poſſem, niſi digniſſimorum, quae in Patria* TE *manent, virtutis atque doctrinae* TVAE *praemiorum, contemplatio, animum meum a grauiſſima recordatione auocatum, aliqua ex parte reficeret atque deliniret, nullus praeterea dubitans, ſempiternam fore noſtram hanc amicitiam atque ad omne vitae tempus duraturam. Vt vero ſummos quos merito capeſſis in arte noſtra honores ſtudiorumque egregios ſucceſſus impenſe* TIBI *gratulor, ſic et eosdem in poſterum continuo maiores, cum omnis generis proſperitate ex intimo animi affectu* TIBI *apprecor. Ita vale, amice perquam dilecte, meque in* TVORVM *numero ſemper habe. Scrib. Goettingae d. 1 April 1777.*
